

Deus misericordia et misericordia

et misericordia misericordia misericordia

**A**lfredus filius regis Anglorum

**J**utis.

Principis regis Anglorum

**I**ustitiae filius regis Anglorum

**C**lementius filius regis Anglorum

**P**atricius filius regis Anglorum

**R**egulus filius regis Anglorum

**M**agnus filius regis Anglorum

**E**adwardus filius regis Anglorum

**E**adwardus filius regis Anglorum

**W**illiamus filius regis Anglorum

**W**illiamus filius regis Anglorum

**A**lfredus filius regis Anglorum

~~ANNO 1716~~  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

TB 56.

SIGNAT. 61515 CCCXIII.

44

CONSULTATIO  
*Ex i. Reg. 12.*  
EXERCITA-  
TIONIS CAUSA  
aliquot orationibus  
expressa  
A  
*STUDIO SIS QVI-*  
*busdam Academiae Fran-*  
*cocurtanae:*  
*In collegio priuato*  
M. CALEBI TRYGO-  
phori Professoris  
Logici.  
Anno clx. Ic cvi.  
*d. ult. Octob.*  
FRANCOFURTI  
Apud Johannem Eichorn.

# Summa Orationum.

I.

*Petitio nomine Populi Iudaici.*

II.

*Propositio Regis.*

III,

*Consilium Senioris 1.*

IV.

*Consilium Senioris 2.*

V.

*Consilium Junioris 1.*

VI.

*Consilium Junioris 2.*

VII.

*Sententia nomine Regis lata.*

VIII.

*Deprecatio lat& sententia.*

IX.

*Sententia à Rege iterata.*

X.

*Hortatio ad deserendum Regem.*



Oratio I.

HENRICI SANTMANNI,  
*Lubecensis.*



Vod&jure hē-  
reditario, & ut omi-  
nor, divino consilio ac  
nutu ad Te jam trans-  
fertur diadema pater-  
num, Rex inclyte, de-  
eo ex animo Serenitati tuæ gratulamur  
omnes Israëlitæ, & conjunctis suffragiis  
imperii Judaici fasces, ut par est, gubernationi  
tuæ submissè offerimus: utque in-  
tanta ac tām ardua provincia, admini-  
stranda omnes conatus, consilia, & actus  
tui ad Reip. salutem vergant, exoptamus.  
Enimverò magnum est, Rex Serenissime,  
in Rep. personam tueri Principis, majus,  
pro ejusdem salute variis involvi mole-

*Oratio I.*

stiis, maximum illi se totum dare, & omnia sua quasi consecrare : Siquidem eò omnis vitè nostrę ratio meritò transmititur, ut magnam nostri nominis famam, ex maximis in Rempub. meritis collatis, posteritati relinquamus. Quod ut fiat, Rex potentissime, DEUM omnis felicitatis fontem, ex intimis cordis viscerib. obsecro, & obtestor, ut prospéro rerum omnium successu, tuam clementiam adeoq; regnum ipsum ditare clementer velit, quo omnia, in Divini numinis gloriam, regni totius salutem, & subditorum utilitatem benè feliciterque eveniant. Jam verò, Rex justissime, omnis multitudo Israël summis precibus à tua majestate clementer & summissè contendit, ut de oneribus, quibus pressifuerunt sub regno patris tui, aliquid alleves, & exactiones nimias ab Israélitis amoveas, atq; ita libertatem patriæ pristinam restituas. Neque enim, Rex inclyte, temerè aut po-

pularis

*Oratio I.*

pularis auræ aucupio adductus hæc à te  
peto: sed amor in patriam me ut id faci-  
am, impellit: Siquidem nemo esse debet,  
tām ingratus, tām impius, tām nullius  
humanitatis, qui sī patriæ merita resu-  
mere velit, non eam magis quam sei-  
psum diligendam existimet. Qua sola  
ratione facile me impetraturum veniam  
confido, quod tuam, Rex clementissime,  
serenitatem de oneribus & exactiōnibus  
nimiis Israēlitarum amovendis, ausus fu-  
erim compellare. Quod si tua clementia  
subditos ab exactiōnibus & tributis ni-  
miis liberaverit, omnes & singuli quo-  
quot imperio tuo, Rex potentissime, su-  
mus subjecti, in tota vita, tuæ Majestati,  
debitam animi summisionem, cultum,  
observantiam, & obsequium promptissi-  
mum, cum in præliis concitatis, tum tem-  
pore pacis, quæ est rerum optima, sanctè  
pollicemur. Proinde, Rex optime, audi  
reces populi, tributa quæ ipsis imposta

A 3 sunt

*Oratio I.*

sunt gravissima minue; atq; ista ratione  
subditos in æternum ita tibi obstringe,  
ut nullis fortunæ telis labefactari queas.  
Quodnam enim excogitari queat inex-  
pugnabile magis munimentum, quam  
amor civium? Arma, satellites, stipendia a-  
rii, tubæ, buccinæ ad metum hostib. incu-  
tiendum valent: caritate autem & bene-  
volentia, subditorum septum oportet  
esse eum, qui securus tenere imperium  
cogitat. Quis enim illi audeat struere ali-  
quod periculum, sub quo justitia, pax &  
securitas cum dignitate florent? sub quo  
opulenta civitas, copia bonorum omni-  
um abundat? Hanc verò opulentiam  
ad Imperium Regiæ Majestatis tuæ sta-  
biliendum maximè aptam, meliori via  
subditi non consequentur, quam si à ni-  
miis exactionibus atque tributis immo-  
dicis liberi, tranquillo rerum statu nego-  
tientur, rusticentur, peregrinentur. E-  
nim verò Serenitati tuæ ignotum esse

nequit

*Oratio I.*

nequit, decere omnino regem pium & probum, ut civium utilitatem sic tueatur, ut quicquid agat, ad eam unicè, nulla privati commodi habita ratione, referat, & nimiarum exactiōnum ponderibus subditos nequaquam subprimat. Etenim ut tutelam, sic procuratiōnē Reipubl. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerendam esse, quidam gravissimè pronunciārunt. Neque verò existimandum, faciliori negotio benevolentiam multitudinis conciliari, si nimiarum exactiōnum ariditate civitas flaccescat, quam si viriditate floreat. Quæ cum ita sint, Te Rex serenissime per sanctissimos patris tui cineres, per nomen Regis, per patriæ denique salutem obsecro & obtestor, ut tributorum illud jugum à cervicibus nostris amoveas, nec vectigalibus nimisiis, subditorum animos affligi patiaris. Miserum enim est, exactiōibus

gra-

### *Oratio I.*

gravibus populum premi, miserius etiam  
gravioribus opprimi, miserrimum gra-  
vissimis enervari: acerbum est ab hoste  
lædi, acerbius ab amico, acerbissimum à  
Rege, qui patriæ Pater Jehovæ clemen-  
tissimorum clementissimi vicem in hac  
terra gerit. O conditiones Rerum pub.  
miserrimas, in quibus arenti terræ aqua  
subtrahitur, & flumina, quæ non indi-  
gent, irrigantur. Sed ego tibi hodierna  
luce tanto honore prædito, & tantis po-  
puli beneficiis affecto, Rex clementissi-  
me, seriam subditorum voluntatem, Re-  
ipubl. dignitatem, patrię denique salu-  
tem maximæ curæ futuram firmis-  
simè confido.


•S(?)S•

### *Oratio II.*



Oratio II.

C A S P A R I à K O T V V I T Z ,  
Lufati.



Vod à Domino Parente olim audi-  
vi meo, Consiliarii dilectissimi, eum qui po-  
pulo præficitur, capere imperium in bel-  
luam indomitam; id verum esse vel in  
hoc ipso imperij mei vestibulo compe-  
rio. Dum enim regni à Patre mihi reli-  
eti solium occupare incipio, & vix dum  
imperii limen attingo; en mecum con-  
scendunt regium illud solium curæ an-  
xiæ & mordaces, quibus bellua ista me  
implicat, dum servitio quasi publico mā-  
cipare me satagit, & nescio quas præscri-  
bere regi suo, à quo accipere debebat le-

B ges,

*Oratio II.*

ges, annititur. Evidem, quid potissimum huic populo respondendum sit, animi pendo; utrum nimirum satius sit, onere aliquo populum levare, an maiori severitate constituere regnum & refractoriorum animos coercere. Agite ergo vos primum seniores, consulite in medium, & quid in regni incrementum. Regisque autoritatem redundaturum censeatis constituite: vos deinceps juniores aut sublevationem onerum, aut incrementum vestris munite suffragiis.



**ORATIO III.**



Oratio III.

SAMUELIS FICKELSCHER  
rer Lubenensis.

**N**on equidem ne-  
scius sum, Serenissime Rex,  
quàm arduum,, quamque  
difficile sit consilium dare  
regibus, quorum potentia ingens est, &  
opes amplissimæ: quippe cum & consul-  
toribus ipsi abundant; nec quisquam sit,  
qui futurorum certus, consilii eventum  
præstare valeat. Quin etiam sæpè prava  
consilia quàm bona & acceptantur ami-  
cius, & quia plerasque res fortuna ex li-  
bidine sua agitat, exitum habent prospe-  
riorem. Quocircà vocatus ego ad con-  
sultationem hanc, Serenissime Rex, pro-  
fecto animi prorsus pendo, quid tuæ  
Maiestatí suadendum quid dissuaden-

B 2 dum

### *Oratio III.*

dum sit; ut etiam eventus postea consiliis nostris respondere videatur: Tuâ tamen, Clementissime Rex, fretus & eretus clementia, quæ Regiæ tuæ M. & toti regno usui futura mihi videantur, aperiam, & quidem sine fuso aperiām: sum moperè abs tua M. efflagitans: ut hoc meum, qualecunque id est consilium, æquissimo animo audiat: quod aut verum reperiet, aut non procul à vero. Etenim hoc mihi penitus persuasum habeo, è salute Regis & regni maximè futurum, si supplicantis, pressi, & penè oppressi populi preces Regia M. audire dignetur, & si omnibus populi precibus locum concedere nolit, aliquam tamen durissimi jugi humeris ipsorum impositi remissionem sentire afflictos patiatur. Enim verò in electo novo magistratu præcipuum decus, ornamentum, atque emolumentum esse existimò, in primo regni auditu non austерum, non iracundum, nō seve-

*Oratio III.*

severum, non tyrannum esse, sed clemē-  
tiam erga quoslibet exercere, comem.,  
atque affabilem se civibus ac subditis su-  
is præbere: quo nihil est ad subditorum,  
animos devinciendos & ad regnum sta-  
biliendum accommodatius. Probè hoc  
perspectum fuit serenissimis Majoribus  
tuis, à quibus imperii hujus diadema  
regium hereditario jure ad inclytum ca-  
put tuum devolutum est. *Quid enim*,  
primus ille Israëlitarum Rex Saulus? an-  
non in regni limine supplicio debito  
subtraxit homines improbos, à quibus  
improbè fuerat habitus ludibrio? *Quid*  
avus tuus David? an non vim à milite  
fieri prohibuit futileissimo Saulis cognata  
Simei, qui non solum maledictis, ve-  
rūm etiam lapidibus fugientem insegue-  
batur? *Quid* parens tuus Salomon, quo  
sapientiorem nulla ætas vidit aut visura  
est? annon Adoniæ affectati regni dedit  
veniam? *Qui* omnes nisi felix regni au-

*Oratio III.*

spicium in clementia fundatum esse co-  
gnovissent, tantis certè delictis nun-  
quam se præbuissent tām faciles. Horum  
tu exempla imiteris oportet, ut ipsorum  
in regno administrando felicitatem  
consequaris. Quid? quod diuturnitatis  
& securitatis custos optimus est amor ci-  
vium? ad quem conciliandum datur  
amatorium, præsentissimum sine medi-  
camento, sine herba, sine ullius beneficæ  
carmine, Amor ipsius regis erga subdi-  
tos: cùm nemo tām ferrei pectoris facile  
reperiatur, qui non reddat vices amanti.  
Quod si ad amoremaccedat beneficentia  
Principis, jam exardescit incredibilis ar-  
dor, & oritur nervus ille, quo ad perpe-  
tuum dominatum nullus pulchrior,  
nullus firmior texi unquam poterit. Si  
ergò, Rex inclyte, paternum affectum  
populo tuo ostenderis, & de exactioni-  
bus aliquid remiseris, quanto, quæso, Ju-  
dæi Te favore, quantis studiis te com-

ple-

*Oratio III.*

plectentur: quantis laudibus evehent? quoties votis ac precibus incolumentem vitæ & regni diuturnitatem tibi precabuntur? an non omnia sua bona, an non ipsos laterum oppositus protua salute ultrò oblaturos esse existimas? Quod si difficultatibus quibusdam & regni angustiis tenereris, Rex clementissime; sub hoc tamen imperii principium meritò aliquid dares populi precibus, ne totum ab auspicio imperium triste flueret. Jam præter ærarij opes immensas, regnum adeptus es florentissimum & opulentissimum, tam opimum, tam fertile, ut ubertate agrorum & varietate fructuum, & magnitudine pastiōis & multitudine earū rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat. Facile igitur, & vel nullo vel exiguo admodum damno ærarij regij afflito populo remissionem tributorum & exactiōnum largiri poteris: quod ut facias, Rex potentissime, impe-

tra-

### *Oratio III.*

impetrabit à te vel summus ille Rex Regum omnium JEHOVA, qui rerum omnium salutem maximè curat, redundantiamque suæ bonitatis in res omnes largiter effundit: semperque ad beneficentiam & benignitatem pronior est quam ad pœnam & severitatem. Proinde, Rex Optime, si consilium hoc meum ut bonum & salutare non repudiaveris, & regnandi initium à clementia feceris, tranquillum & pacatum habebis imperium, feliciter & diu regnabis, subditi etiam pro tua salute & incolumitate omnia sua bona quæ possident, atque adeò vitam ipsam deovrebunt,

¶(?)¶

### *Oratio IV.*



*Oratio IV.*

JOACHIMI KRIPPENSTA-  
PELI.

**D**UM ad gentis Judaicæ statum, cōditionesq; respicio, Rex serenissime, video, petitionem populi non usquequaque & summè fuisse necessariam: cùm à sapientissimo patre tuo non coacti fuerint Judæi, ad pendenda ejusmodi tributa, quibus omnino essent impares. Quando autem ad præsens negotium oculos converto, & futurorum cura subit animum; facere non possum, quin de iis, quæ modò dicta sunt, mente & voce consentiam, ac pro fide illa, qua regi & regno sum obstrictus, svadeam, ut tua clementia populo hac vice gratificeatur. Neque enim cum illis facio, qui in Rege non nisi magnanimitatem requi-

C runt

*Oratio IV.*

runt, humilitatem à Regis solio penitus exsulare jubent: Sed potius utramque virtutem Reges decere plurimū & exornare arbitror. Magnanimitatem quidem in rebus adversis, & quatenus agendum est cum hostibus: Humilitatem verò in rebus prosperis, & quatenus versantur cum suis. Præ aliis autem, quando primū Regi populus moderandi & regendi sui potestatem, quasi quasdam habenas tradere incipit, maximè proderit induere humilitatis faciem, & benignitatis radios emittere. Itaque sic velim existimes, Rex optime, te optimè rebus tuis prospectu- rum, si exactiorum aliquid remittas, vel certè ad tempus remittas hoc tempo- re. Nisi enim populo huic respondeat benignè ac clementer, Tibi inure- tur nota superbiæ, vel etiam tyrannidis, quæ omnibus exosa est: quæque tam  
du-

*Oratio IV.*

duram ac miseram Regibus imponit  
farcinam, ut, si minus regno excidant,  
nullam tamen diem sine suspicione,  
nullam noctem sine metu transigant; po-  
situmque videant habitaculum suum in  
arenis, stratum in spinis: eo nomine o-  
mnium miserrimi, quod ipsos esse mise-  
ros omnes cupiant: Ex quo effectum  
est, ut non nemo se noluerit appellari  
Regem aut Dominum, sed Regis ac  
Domini interfectorem. Quin si po-  
puli precibus non detur locus, metu-  
enda est vehementer seditio & defe-  
ctio à Rege: quia inconstans admo-  
dum est populus, & bellua multorum  
capitum, quæ si primum furere incipi-  
at, coërceri facile non potest: Itaque  
ex duobus malis minus eligendum es-  
se censeo, moneoque fideliter, ut  
posthabita severitate, locus detur cle-  
mentiæ. *Quemadmodum enim illi,*

C 2

Qui

*Oratio IV.*

qui equos ferociores domare cogitant,  
primum poppysmate blandiuntur, ac  
mollissime eos tractant; donec assuescant  
freno: sic nisi lenitate populus hic subi-  
gatur, ex insano fiet insanior, feriet vehe-  
mentius: Atque ita, Rex Inclite, non so-  
lum te ipsum sis perditum, sed ab univer-  
so hoc regno concordiam exturbas:  
quod quam calamitosum sit, licet ipse  
intelligas, paucis tamen quin attingam,  
a me impetrare nequeo. Sine concordia  
enim omnis hominum vita periculum,  
& pavore est, & tristis curarum officina.  
Siquidem illa est serenitas mentis, tran-  
quillitas animi, simplicitas cordis, vincu-  
lum amoris, consortium charitatis: illa  
est, que simultates tollit, bella compescit,  
iram comprimit, superbos calcat, humi-  
les amat, discordes sedat, inimicos con-  
cordat, cunctis est placida: nescit extolli,  
nescit inflari: illam qui acceperit, teneat,  
qui perdiderit repetat, qui amiserit ex-

qui-

*Oratio IV.*

quirat. Quare si te, Rex Inclyte, tuumq;  
regnum florere expetis, non cum impe-  
tu jam incurres in populum, sed primùm  
Te ipsius voluntati accommodabis, po-  
stea sensim illum trahes, ad tua insti-  
tuta, imitatus vinum generosius, quod  
primùm servit, ac paret bibenti, at paula-  
tim admixtum venis eum totum occu-  
pat, sibi que subjicit. Quemadmodum  
enim acerbiori responso populum à te  
alienare facilimè poteris ô Rex; sic votis  
ipsius si obsecutus fueris, omnia in pro-  
clivi erunt, volitabit per omnes gentes  
fama virtutis tuæ: vivesque in his terris  
suaviter, odiosus nemini. Sempiternam  
autem clementiæ memoriam etiam post  
mortem relinques. Quæ mihi utilissima  
factu visa sunt, Rex Serenissime, quæque  
tibi usui fore credidi, breviter exposui.  
Cæterum præpotētem cœli ac terrę Mo-  
narchā obtestor, ut quoquo modo ages,  
ea restibi populoq; Judaico prosperè e-  
veniat.

C 3

Ora-

EXALTE DOMINI NOME

*Oratio V.*

CHRISTOPHORI RUM-  
BAUM Vratislaviensis  
Silesij.

**N**on equidem aut ita sum rerum omnium ignarus, REX Serenissime, ut nesciam in rebus arduis potissimum consulendos esse eos, quibus ætas longa fuit magistra; aut ita contradicendi studio deditus, ut impugnare cupiam quæcunque adferuntur ab aliis. At nec pedariorum numero me adscribi velim, qui non quid dictum fuerit, sed quis dixerit attendunt; imitatores anserum, qui clangenti uni aut alteri clangorem illico omnes adjungunt suum; sed ad sen-

ten

*Oratio V.*

tentiam dicendam invitatus, ea quæ proposito negotio maximè convenire videantur, posthabita aliorum auctoritate, proferenda esse autumo. Itaque veniam mihi dabis, Rex inclyte, si hac vice ab ista via quâ iverunt seniorum consilia discessero.     Enimverò, REX optimè, populus relaxationem tributorum petit, instat, urget. hîc consilio, hîc deliberatione opus. Quid faciendum? gratificandum ne? O res magni momenti! vide ô Rex Serenissime, quid monstri alatur; oculos mentis aperi; certe illis haud morem geres, si quid inde incommodi eventurum sit certior redditus fueris.     Ab avo Davide Rege prudenterissimo, & Salomone Patre sapientissimo, tanta sibi fuisse imposita onera, tantis sarcinis se suppressos dicunt, ut iis ferendis pares esse nequeant.

Quo

*Oratio V.*

Quo quid quæso ineptius? quid iniquius  
dici aut cogitari potest? En stoliditatem,  
en improbitatem plebis: Quasi verò ne-  
sciant quibus de causis summis exactio-  
nibus augustissimi Majores tui superse-  
dere potuerint: Præsertim Pater tuus, qui  
ut ditissimus, tributis non indigebat, ut  
sapiētissimus, tam vicinos quam exteros  
omnes reges sibi devinciebat, in quem  
omnes cōspiciebāt, quē venerabātur, quē  
lædere nefas ducebant, cui munera affa-  
tim offerebant. Jām verò, si, quod fieri  
consuevit, hostium furor ex Patris tui  
funere reviviscat, & servitutis jugum ex-  
cutere annitatur, qui tandem illos coēr-  
cebūs, si ad conscribendum militem, &  
impetrandam pecuniam facultas præci-  
sa sit. Certè nec quies sine armis, nec ar-  
ma sine stipendiis, nec stipendia sine tri-  
butis poterunt habere locum. Ex iis,  
quæ dixi, facile colliges, Rex prudentissi-  
me, populum hunc querere non nisi me-

ram

*Oratio V.*

ram libertatem; cui malo nisi provideatur, graviora multa jam pulsant regni ostium. Itaque cum morbi quamplurimi aut declinari possint antequam veniant, aut facilimè currentur quando primùm venerunt, nec dum egerunt radices: huic etiam regni morbo lethali, qui jam adventare incipit, subitaneo ac salutari remedio occurses, Rex optime, antequam insidieat altius, & vel interitum, vel curationem difficilimam Reipublicæ conciliet. Præsertim cum reditibus, tanquam nervis, Reipubl. corpus contineatur: qui regno subtrahi nequeunt, ut non unà totum hoc imperium, cum summo regni Judaici detrimento regisque dedecore corruat. Cogita quæso quām turpè sit Regem se submittere populo, & ad omnem ejus nutum præbere facilem. Enjam manus diademati tuo regno inferre conantur subditi, illud jamjam subtrahunt. Respice, respice quæso, à latere a-

D

stant,

*Oratio V.*

stant, occasionem expectant. Tu regni legitimus successor, Tu Rex, Tu Dominus: Ipsí regiam libertatem diminuere, ipsí regere, ipsí Tibi ut servo imperare co-  
nantur. Age, evigila aliquando, & cū Imperii majestas salutis sit tutela, quid illa possit ostende. Et quoniam secundum tritum proverbium, cui communis suffragatur experientia, *Omnes licentia & lenitate deteriores fūnt*: Te ô Rex per sceptrum, perq̄ue regni incolumentem obsecro atque obtestor, si tibi ararum, si fororum ulla cura, ne nimia lenitate remissioneq̄ue tributorum, aliquid addas contumaciæ. Semper enim populus, cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.

•S(?)S•

*Oratio*

# Oratio V. I.

# NIKOLAI A PLATOV Marchici.

**O**n ego is sum, Rex  
Serenissime, qui à clementia  
avocare, ad crudelitatem al-  
licere, & adversus subditos  
concitare animum tuum cupiam; sed po-  
tius avidissimè sum affectus, ut si ulla ra-  
tione fieri queat, Regem populo, populū  
Regi conciliem. Verum tamen, quando  
hodiernam populi petitionem, non po-  
pulari rtutina, sed accuratiore æquitatis  
statera examino, video populum hunc  
totum esse in eo, ut oscitante novo rege,  
vindicetur penitus in libertatem, & sic  
in posterum vivat ut velit. **Quo** quidem  
voto, ubi primum potitus fuerit, quid ali-  
ud supereft, quàm ut omnis Respublica

D 2

ju-

*Oratio V I.*

Judæorum intereat? Tibi ergò, Rex Sa-  
pientiss. regnum, quo tibi nihil esse de-  
bet antiquius, nihil charius, nihil deniq;  
dulcius, tibi inquam, regnum hoc sup-  
plex manus porrigit, se ut defendas, & hu-  
mi serpens quasi erigas àque malo præ-  
senti liberes, submissè orat. Tibi se,  
suamque incolumentatem commendat,,  
ea ut nihil detrimenti capiat, tuam fidem  
& auctoritatem implorat.. Tuum est,  
spe impunitatis sublata, tollere maximā  
peccandi illecebram, & salutari severita-  
te vincere inanem speciem clementiæ.  
Nam, quod assertum est, metuendum es-  
se, ne, si populo non gratificetur Rex, o-  
mnes ab eo deficiant, illum relinquant,,  
aliumque sibi magis placentem regem  
eligrant, nullius ferè momenti est. Ete-  
nim DEUS ex sola Davidis stirpe, re-  
gem in posterum eligendum esse voluit,,  
cujus voluntati, nemo hominum, quis-  
quis sit,, licet velit,, resistere potest, sed  
ea,,

*Oratio VII.*

ea, quæ DEUS semel statuit, ea fieri atque servari in perpetuum necesse est. Nonnè quæso, omnes ferè Prophetæ, Messiam Salvatorem nostrum ex Davidis Progenie proditurum pronunciarūt? Unde te, Rex Optime, rejicere nequeūt, quin simul rejiciant Messiam: qualem furorem in Judæos cadere posse, si quis credit, amiens sit. Fac igitur animo magno sis Rex potentissime, nec per segnitatem clementiæ habitu indutam, hebescere patiaris auctoritatis regiæ aciem. Crocodilum nosti, ô Rex, eo esse animo, ut terribilis sit, si quis fugiat; fugax autem, si quis eum sequatur: idem statuas de populo; qui si multa concesseris, ipsosque metueris, ferocient: sin strenuè contempseris, & ipsorum furori obstiteris, mitescent atq; ultrò tibi cedent.. Majores profectò tui Judæis pepererunt otium, liberarunt ipsos à tributis, quibus obstrieti erant regibus externis, & quo potue-

*Oratio VI.*

erunt studio à miseria & calamitate re-  
demerunt. Illi verò jàm otio disfluentes,  
& opulentia abusi, nihil aliud quærere  
occipiunt, quam ut sine omni imperio  
in pernicem properent voluntariam.  
Huic tu ferociæ resistas oportet; & quem  
admodum medicus, extracto sanguine  
corrupto corpus hominum sanitati re-  
stituit, sic è medio sublatis iis, qui hujus  
seditionis auctores sunt, à regni corpore  
ancipitem hanc ægrotationem amove-  
bis; nihil veritus furorem vulgi, contra  
quem invictus stabis; imitatus adamantem,  
qui nec calescit igne, nec ferro cedit  
sed iustum ita respuit, ut ferrum potius,  
& incus dissiliant, quam ipse frangi se &  
communui patiatur. Ignosce, quæso, Rex  
inlyte, si me non in idem cum seniori-  
bus ire suffragium animadvertis. Non  
enim potest idem ventus ex æquo place-  
rè illis, quorum navigatio contrarios fi-  
nes spectat. Clemens illi responsum à

Ma-

*Oratio VI.*

Majestate tua postulant, veriti indignationem gentis Judaicæ : At verò, si me audias Rex Serenissime, auctor tibi sum, ne populi defectionem pertimescas, sed in ipso regni vestibulo auctoritatem tibi concilies, ipsosque tibi subditos esse, vel renitentes adigas. Respondebis tuum, digitum ipsis graviorem fore, quam patris tui dorsum : & si à patre cæsi sint flagellis, te usurum Scorpionibus. Huic sententiæ si locum reliqueris, simul regno, ac regni proceribus meo quidem judicio benè ac optimè prospicies.



*Oratio*

*Oratio VII.*

D A N I E L I S O D E R,  
Vratislaviensis.

S Erenissimus atque po-  
tētissimus Rex, Dominus noster cle-  
mentissimus, secum cogitans, prin-  
cipem suæ scientiæ ambitu, non posse  
cuncta complecti, quæ in regno delibe-  
randa objiciuntur; & magna negotia ma-  
gnis adjutoribus egere: adsumsit in par-  
tem curarum principes & proceres regni:  
quorum fidem & prudentiam quilibet  
vestrūm perspectam habet; iisque nego-  
tium totum de onerum mitigatione di-  
judicandum commisit. Hi ergò impor-  
tunam vestram efflagitationem de one-  
rum gravitate allevanda, laborum mul-  
titudine minuenda, sine omni adulatio-  
ne

*Oratio VII.*

one, at non sine conscientia in utramque partem allatis rationibus pensitarunt: tandemque deprehenderunt, frivolum eam esse, nulliusque ferè momenti; cum nullibi appareat Sac. Regiæ Majestatis parentem Salomonem (gloriosæ recordationis regem) ulla onera populo imposuisse, de quorum gravitate quisquam jure conqueri possit aut debeat. Mirari igitur Sac. Regia Majestas satis nequit, quænam tanta caligo mentem oculosq; vestros ita excœcarit, ut consilia vestra illustri huic confessui patere non sentiat; ut constrictas jam omnium horum conscientiâ teneri cogitationes vestras non videatis. Qualis enim vel calliditas, vel ferocia sub hac vestra petitione lateat, quid cupiatis, quid velitis, quid consilii cæperitis, quenquam horū ignorare arbitramini? Rex certè intelligit, proceres regni vident. Non vos nimis gravitas onerum, non multitudo la-

3819

E bo-

*Oratio VII.*

borum premit: nihil enim horum est: sed  
liberioris vitæ ac licentiæ cupidus, quæ  
vos invasit ad postulanda hęc tam iniqua  
incitat. Ideoque Sac. Regiæ Majestati, fi-  
delissimi & prudentissimi regni proceres,  
graviss. authores fuerunt, ut ejus M. om-  
nib. modis caveat, nec fisco regio atq; ad-  
eò toti regno ea ratione ullū inferri- dam  
nū patiatur. Experiētiæ quippe oculis vi-  
derūt, nullam rem p. nullum regnū, consi-  
stere posse; sine tributis: quod nec quies-  
gentium sine armis, nec arma sine stipen-  
diis, nec stipēdia sine tributis acquiri aut  
servari ullo modo queant. Quin & hoc  
monuerunt viri tales, quorum pruden-  
tiæ ac fidei sese rex commisit, videat ne  
sublatis tributis, quæ ornamenta pacis  
sunt, subsidia belli, nervi imperii; unā  
tollatur subditorum observantia, ac le-  
nitate & licentia nimia populi armetur  
audacia & contumacia. Ut igitur, præci-  
datur seditionum seges, & rebellionis via

præ

*Oratio VII.*

præcludatur iis, qui non nisi licentiam  
quæritant, Serenissimus atque poten-  
tissimus Rex, Dominus noster clementis-  
simus, sub ea lege, quæ de Majest. læsâ est,  
omnibus & singulis regni sui fidelibus e-  
dicit, ut ab ejusmodi conatibus in poste-  
rum abstineant, nihil horum tentent, ni-  
hil de his loquantur, nihil cogitent: si  
quem secus fecisse deprehenderit, ita in  
eum animadvertiset, ut omnibus sit exem-  
plo. Et quoniam intelligit, vos nullâ ne-  
cessitate coactos, sed merâ ex petulantia,  
& novitatis studio, tale quid petiisse: non  
modo nihil se remissurum de pristinis ex  
actionibus, sed eas etiam aueturum præ-  
dicit, adeò ut vel minimū suum digitum  
densiorem lumbis parentis sui sitis sen-  
suri. & qui à patre percussi estis scuticis,  
se vos percussurum flagellis aculeatis, quò  
agnoscatis vos regem habere cui  
debeat is obsequium.

Oratio III X.

AUGUSTI VOLGENADT,  
Vratislaviensis.



um omnis ratio,  
Rex Serenissime, accommodata ad propulsandas  
vel saltem leniendas ac mi-  
tigandas misere affictorum  
calamitates, semper æquissima, justissi-  
maque visa fuit: tum in primis eorum  
defensio per necessaria æstimanda est,  
cum quibus ipsi eodem in periculo ver-  
samur, & quorum angustiæ non minus  
ad nos, quam ad illos pertinent. Natura  
enim ipsa adducimur ut quoquo modo  
depellere & aversari annitamur, quæ cer-  
vicibus nostris impendere cernimus o-  
neraduriora: communem nimirū omniū  
salutem provehere & conservare sedulò

flu-

*Oratio IIX.*

studeamus: cumque nihil sit detestabili-  
us dedecore, nihil fœdius servitute, (ad  
decus enim & libertatem nati sumus) aut  
dignitatem teneamus, aut sine dedecore  
moriāmur. Quamobrem cum & ego non  
solum officii ratione, & pietatis studio  
adductus, pro communi totius regni, po-  
puliisque salute, sed etiam pro Serenitatis  
Tuæ incolumitate, paucula quædam di-  
cere aggrediar, Tuā Serenitatem, Rex In-  
clyte, submissè rogatam velim, ut absque  
animi commotione, at non sine gratia,  
ea in medium à me proferri benignè cō-  
cedat. Quanquam enim unus ex omni-  
bus his, minimè sum ad expeditionem  
tanti negotiū accommodatus: tamen, ut  
peritissimi gubernatores navis, in ma-  
gnis tempestatibus, interdum à vectori-  
bus admoneri solent: & clarissimi Medi-  
ci ægrotantes sēpè consilium sequuntur;  
ne tu quidem, Rex potentissime, meum  
in præsentiss. regni clade cōsilio asper-

E 3

na-

*Oratio IIX.*

naberis, sed ut non solum Reipubl. Judaicæ, sed tibi ipsi prospiciatur, populo roganti aliquid largieris. Etenim populus qui tuo imperio ac voluntati meritò se suaque omnia subjicit, non omnia sibi condonari petit, quæ à Parente tu demandata sunt, nec quærit liberationem ab omni servitute, neque omnia onera sibi imposita, planè detrectat: sed cum tributa intolerabilia conferre coacti sint & jugo nimis servili fuerint pressi, aliquid saltem sibi de exactionibus illis gravioribus remitti, supplices rogant, reliqua omnia, quæcunque tribui dignitati, fidei, auctoritati tuæ velis, ultrò præstituri. Quæcum ita sint, non video, quid causæ sit, cur S. Ta. tributa ista tantopere exigat, cum nulla necessitate urgeatur, cum tantis opibus, tanta omnium rerum copia abundet & circumfluat, ut ad vitam regio splendore per-

agen

*Oratio IIX.*

agendam nihil desit: neque ullus bellorum aut seditionum rumor in tota tua ditione & imperio audiatur, qui exactiones has, ad procuranda arma, alimenta, aliaque necessaria flagitet. Quod si allevato publico onere, damni fortè aliquid inferri videatur fisco regio, id alia ratione, ut mihi videtur, in posterum facile resarciri poterit, modò ne subditi infelices simul & semel nimium dando ad sanguinem usque exugantur & exhauiantur. Boni enim Pastoris est tondere pecus, non deglubere, cum cute detracta, nihil sit reliqui, quod deinde possis auferre: lana verò tantum detonsa, lana renascatur; Plurimumque intersit Reipublicæ habere benè opulentos cives, qui, ubi concessa aliqua immunitate, rem familiarem hactenus consumtam paulatim auxerint,

&

*Oratio IIX.*

& amplificaverint, urgente necessitate  
subvenire suo Regi & poterunt commo-  
dissimè & libentissimè volent. Memine-  
ris omnino, Rex optime, tuum esse, cùm  
ad salutem publicam natus sis, studere  
saluti publicæ: cum anteponere commo-  
ditatem suam publicæ, tyrannidis sit,  
quæ ad Reipubl. exitium nata est: non re-  
gni, quod ad commune bonum inventū  
est. Memineris, quām gloriosum sit  
proclamari Principem integrum, bo-  
num regem, patriæque patrem exoptatis-  
simum. Memineris denique quanta sit  
fortunæ inconstantia, quæ in summa po-  
tentia vehementissimè ut plurimum se  
exercet, & in maxima lignorum mole  
crepitantius excitat incendium. Nolim  
equidem, Rex serenissimè, ominari ali-  
quid sinistri: sed dicam tamen quod res  
est, certè quod futurum metuo. Perve-  
nit, opinor, ad aures tuas, quod Propheta  
Silonites Ahia, patre tuo adhuc supersti-  
te,

*Oratio IIX.*

stite, prædixerit de regni hujus distracti-  
one & translatione ad alium. Crede mihi,  
nisi hoc tempore populum, placidè &  
blandè allocutus fueris, & insanientis  
plebis animos exulceratos mitiori re-  
sponso sanaveris, jam in procinctu est fa-  
tal is illa populi tui defectio. Quam ut  
amoliaris, nec tantam perniciem tibi i-  
pse accersas, obsecro Rex inclyte, & si pa-  
teris hortor, ut sententiam hanc mutes,  
& quid te deceat, quid ad tuam, tuorumq;  
salutem spectet, majorū exemplo excita-  
tus, perpendas. Etenim ipsa Patria atque  
Parentes tui, si loqui possent, procul du-  
bio hunc in modum te compellarent.  
Genuimus te, ô Rex, mitissimi viri, in re-  
gno laudatissimo; favorem nobis, hosti-  
terrorem te esse voluimus: quæ plurimis  
laboribus occupaveramus, tibi nascenti  
unà cum anima tradidimus: patriam in-  
his terris sanctissimam, domumque in-  
patria clarissimam obtulimus. Pro his

F

bene-

*Oratio IIX.*

beneficiis non torvitatem à te, sed benignam gubernationem expectamus. Huic tuorum expectationi, si responderis, Rex Inclyte, populum in officio retinebis: sin minus, (ut tribus verbis me expediā) de regno actum..



*Oratio IX.*

CASPARI A KOTVVITZ.

**N**Æ populus ille vehe-  
menter contumax est & petu-  
lans, quippe qui patris mei lenita-  
te nimia confirmatus tanta esse cœpit in-  
solentia, ut nullis jam legum & discipli-  
næ repagulis constringi se & coērceri pa-  
tiatur. Quousq; tandem, Judæi, abutemi-  
ni regum vestrorum indulgentia? quam-  
diu nos temeritas vestra eludet? quem  
ad finem sese effrenata jactabit audacia?  
Patere vestros conatus non animadver-  
titis? constrictam mea & aliorum consci-

en-

*Oratio IX.*

entia vestram ferociendi libidinem teneri non videtis? Quid querela vestra de jugo paterno, quid petitio de remittendis oneribus sibi velit, mene ignorare arbitramini? Novi certè, nihil aliud vos quærere, quām immunitatem omnium tributorum ac munerum, quibus obstricti sunt subditi, atq; adeò illud moliri, ut sit in dominatu Judaico servitus, in servitute dominatus. Itaque cum certum sit, vos nō indulgentia sed severitate moliri, non clementia & impunitate, sed virga ferrea in obsequio retineri, sic habete. Non recedā ab iis quę jam responsa sunt, sed stat sententia populū contumacē & lascivientē ejusmodi sub jugū mittere, ut sentiant ac sciant, cuius potestati subjecti sint. A patre vos graviter oneratos esse existimatis: onus illud ego accessione nova augebo. minimus n. digitus meus crassior vobis erit lūbis patris mei, & si pater me⁹ corripuit vos scuticis, ego cōtūdā scorpiōnibus.

F 2

Ora-

Oratio X.

HENRICI SEBYSCHII,  
Vratislaviensis.

**N**ON ignoro, Viri Israëlitæ, quanto periculo sese objiciant, qui parati sunt adversus eos aliquid moliri, quorum in potestate jus vitæ ac necis est posatum: Sed me tamen nulla omnino pericula, nullus casus, ne mors quidem ipsa revocabit ab iis quæ in hoc rerum nostrarum statu aggrediar. Cogit enim & maximè cogit me amor patriæ: pro cuius dignitate, libertate ac salute, quicquid tandem invida fortuna secum traxerit, me & omnia mea ultrò devovere constitui. Patria enim nihil dulcius, nihil carius in vita esse debere optimus quisque, meritò autumat. Cari quippe sunt liberi,

ca-

*Oratio X.*

cari propinqui, cari familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua nemo unquam cordatus dubitavit mortem oppetere, si modo se huic profuturum sciverit. Speraveramus utique, ô Rex, fore ut facilior nobis pateret aditus ad te: paterent aures tuæ querelis ac precibus nostris: tuo in imperio nihil acerbum, nihil crudele, sed omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis exspectabamus: libertatem populi Judaici, salutemque regni huius omnibus vel gravioribus exactiōibus, vel privatis commodis antepositurum, te augurabamur: Majestatis tuæ omnium nostrum, liberos, famam, fortunasque veluti in sinu & amplexu posueramus: omnesque nos, qui hoc hodierno die ad audiendum lætum Majestatis tuæ responsum confluximus, non solum ut subditos sed etiam ut filios acceptum iri credebamus. Sed ô spes hominum fallaces!

F 3

quid

*Oratio X.*

Quid accepimus responsi? plena sunt omnia inclemenciarum, plena inhumanitatis, plena minarum. O nos miseris! Imo vero ô miserum Regem, cui jam fati imminet terminus! Quando enim ex altiore isto regiae dignitatis fastigio non salutis publicae speculatorem, sed privatæ libidinis procuratorem se futurum asserit: quando non ut Rex, sed ut prædo, cupiditati suæ, & rapidis atque indomitis animi motibus parens, nil nisi rapinam cogitat, quid aliud quam ad regni amissionem ab Ahia vate ante hac prædictam concitato cursu accelerat? Quare fratres Israëlitæ, cum ejusmodi regem, vos habituros videritis, audiveritis, qui regnum non ante attigerit, quam vos omnes condemnarit, quam autoritatem vestram exterminaverit, quam libertatem, quam perpetuam populi Judaici salutem, quam vos & vestra omnia fœdissimè crudelissimeque vexata voluerit,


huc

*Oratio X.*

huc adeste, in id toti incumbite, ne quid  
respub. nostra detrimenti capiat. Cogita-  
te Patres quanti majoribus nostris hoc  
regnum constiterit, quanta semper po-  
puli judaici dignitas libertasque fuerit  
perpendite. Regni & legum vos velle  
conservatorem non eversorem memen-  
tote. Relinquite regem hunc ut à Davi-  
dis avi sui piæ ac gloriosæ memoriæ, solio  
recedat, qui à Davidis recessit clementia,  
qui noctes atque dies nihil aliud cogitat,  
quam ut in suum questum non reipubli-  
cæ commodum ingentem pecunię sum-  
mam possit corradere, qui que postquam  
nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla-  
vi à miseris extorquere poterit, extrema  
quæq; vobis est intentaturus. Quis enim  
vestrū hoc non audivit ex ejus responso?  
quis non cognovit adjectas minas? Proin-  
dē Israëlite, quoniā vesperascit, venerami-  
ni Jehovāh, custodē ac protectorē hujus  
regni ac libertatis judaicæ: in regionem  
vestrā ad novū regē eligendū discedite:

*Oratio X.*

Consulite nostræ libertati, prospicite re-  
gno, conservate nos, conjuges, liberos,  
nostraque omnia: populi Judaici digni-  
tatem salutemque defendite: mihi par-  
cere, ac de me quid futurum sit cogitare  
desinite. Nam primùm spero D E U M,  
qui fundator & conservator est hujus re-  
gni, quiq; Salomonis regnum divisum  
iri prædixit, me clementer esse defensu-  
rum: Deinde si quid mali acciderit, æquo  
animo paratoque amore patriæ & liber-  
tatis nostræ, morar: vos magno animo  
hinc recedite.



LENCHUS Confessorum.

Prodidabxalidz examinis parlium Catecheses minoris 248. g. lumen com.  
mendationem Catecheses, edita a D. Zadaria SCHILTERO.

Synopsis h̄s Prodidabxalidz, ejusd.

Analysis articulorū Symboli Apostoli, ejusd. D. Schilt.

Prologus nuptiis Dr. Flader.

Alia prolog. eiusdem.

Alia eid.

Prologus nuptiis Dr. Volgnost.

Prolog. nuptiis Dr. Adami georgii.

Votū anno Anni felicissimi latrū Alberto czortkio.

Diss. de loco et tempore Dr. Fideli.

Diss. de Demonstratione Dr. Crügeri.

Consilatio ex 1. Reg. 12. aliquot orationes expressa Frans.  
in collegio priuato Dr. Caleli Crizopetri.

Oratio de insilio & progressu certaminum Nestorianorum et Sitychiadrum  
in articulo de persona Christi Wolf. Frantzii. 13. 13.

Disputatio de Persona Domini Iesu Christi ejusd. Frantz. 13. 13.

VD 17

Z

06

alia oī.

05

04

D

03

02

01

00

Trivio Martinus

Intervit



V

Intervit

# Farbokarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



H